DE MORBOSA MOTUUM VITALIUM REPETITIONE VI HABITUDINIS...

Angelo Rizzini

DE MORBOSA MOTUUM VITALIUM REPETITIONE VI HABITUDINIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS

IN MEDICINA HONORES

RITE CAPESCENDOS

IN I. R. UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICE DEFENDEBAT

ANGELUS RIZZINI

EX VILLAFRANCA

PROVINCIAE VERONENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVIII.

Ex eo usque tempore .quo humorismi imperium a nova celeberrimi Hoffmann nervosa theoria eversum fuit, juxtaque illius principia, verum solidi vivi systema Cullen primus excogitavit, novae vitalibus motibus datae sunt leges, novaeque de die in diem viventi fibrae animali proprietates ortum habuere.

Ex hujusmodi interea disciplinarum studio proficiscitur, ni fallor, cognitio de iis praeter naturam motibus, quos animalis fibra quibusdam intervallis serius ocyus repetit, eamdem formam morbosam sponte regignens, cui jamdudum organico alicui textui inhaerens pathologica conditio evolutionem dabat.

Proprietas haec, sane admirabilis, ex systematis nervosi contemplatione potissimum innotescit, cum ipsum naturalem illam accipiat proclivitatem ad fortiores ac vehementes reproducendas sensationes, quae illud prius exagitaverant. Id propterea ex terrore, ira, et in universum acrioribus animi motibus saepe saepius efficere unicuique compertum est.

Neque usque huc quis potuit priorem hujusce reminiscentiae generis causam, qua partes sensibiles praestant, palam facere. Verum ex physiologia satis evincitur, validiores magisque exaggeratas impressiones illam inducere dispositionem, vel inter se ita adsociari, ut aliae per se, alias reproducant, dum contra mitiores funditus delentur vi earum successivae continuaeque repetitionis. Haec quidem fibrae viventis agendi potestas certa atque constans est, quo magis a physiologis perpensa, eo magis practicorum mente perperam neglecta, vel certo indifferens apud eos habita fuit, etsi clarissimus Bordeu jam edocuerit, et summopere commendaverit therapeuticae ope physiologiae lucem praebere, et physiologiae ope therapeuticae, cum comparationem crisium inter et glandularum opus, febrem et digestionis functionem etc. instituebat.

Et re quidem vera, si leges quae individuum servant, eaedem porro sunt, licet modificatae, mutatae, et fere dicam praeter naturam positae, quae in morbi statu fibrae motibus praesunt; et si cognitiones quae extant quoad animalis, quod vivit phaenomena, illa animalis, quod moritur, inquirere et cognoscere ducunt; morbi habitudinis efformatio ita certa videtur, quemadmodum certum est impressiones, sensationes, et ideas, rursum excitari, cum semel excitentur, et sponte reproduci, quin novae hujusce motuum repetitionis causa reapse in organa quae moventur, agat.

Quapropter illud supervacaneum esse haud puto nonnulla generatim tradere quoad horum mor-

borum classem, ut facili negotio distinguantur a morbis ut dicunt intermittentibus, processu morboso permanenti periodo innixis, cum quibus continuo permiscentur, ostendere insuper quantum habitudo generatim polleat influentiae ad morbos, ita dictos *accessionales* procreandos.

Habitudinis morbus ita posset definiri: affectio illa quae plus minusve longis intervallis sponte excitatur nostris in textibus illius vi tendentiae, qua pollet vivens fibra, ablata etiam causa, progressivam pathologicorum motuum seriem repetendi, ea tantum de causa quia excitati et minori majorive temporis spatio alia vice continuati fuere. Dicitur *sponte*, nam haec motuum repetitio accidit, quin ulla determinata causa in organa quae moventur, agat; minime vero quod quis indistinctus et occultus impulsus in eadem organa specialiter influat. Nemo autem cognoscere jactet differentes internorum organorum status in diversis eorum actionum momentis, ut asserere possit hujusmodi habitualium motuum evolutionem per se oriri, nec ex reliquo oeconomiae animali pendere. Hic sibi pollicendi modus, nil prorsus ab illo Wolmar differre videretur, qui in corde suae Eloisae reconditos etiam pathematum gradus novisse volebat.

Haec igitur tendentia hujusmodi motuum repetitioni in actione posita, *habitudo* appellatur, et hac etiam ex parte perspecta, ipsa morborum periodicitatis fontem aeque efformat, ab ipsaque ordo, quo omnia nostri corporis phaenomena praestant, pendet: cum jam Roussel asserere non du-

bitarit, habitudinem esse quamdam artificii speciem, quo natura suis in operibus uti voluit, ut haec majori praecisione, celeritate, ac regularitate perficerentur.

Ex habitualium morborum examini evidenter ostenditur, has affectiones illorum morborum plerumque esse effectus, qui arcanis periodicitatis legibus administrati, sub forma morbosa intermittenti in lucem prodeunt. Accidit sane, frequentius etiam quam quod existimatur, accidit, inquam, ut, victa etiam omnino morbosa conditione, hoc vel illo in viscere nonnulla praecipua aequali typi ordine insistant vel reproducantur symptomata, illa praesertim quae a sympathico nexu pendent, aut organica partium affinitate, punctum inter affectum et alios procul consentientes, rursus ita primitivam pathologicae conditionis pingens physiognomiam.

Ceterum pernecessarium haud est, quod ut hi morbi proficiscantur, omni in casu longa adsit repetitio morbosarum actionum, quae a processu pathologico permanente excitentur. Cum enim animae attentio summopere in nonnullarum sensationum reproductionem influat, vel ipsae gratae sint vel molestae, et hinc etiam in morbosos motus habituales ita efficiat, ut ipsi vi quidem levis fugacisque causae produci et rursum gigni possint; ita sensatio quae alicui indifferens esset, ab alio valide percipitur vi causarum individualium quae ignorantur, potis hinc in systemate illam relinquendi dispositionem, qua in posterum habitualiter renasci, produci et reproduci poterit. Im-

munditiae aspectus nonnullis vomitum parit gravem, aut syncopem; morbi qui reproducuntur ad tempus, quin etiam causa quos antea excitavit, concurrat, sed illorum tantum motuum vi, eo facilius a fibra excitati, quo intensior fuit attentio a sensorio illo momento concessa, quo a molesta illa sensatione commotus fuit.

Videtur revera, juxta celeberrimi Patavii Physiologi sententiam, quod hac activi principii, vel *del noi*, tensione moleculae illorum textuum longiori intervallo amotae sint; qua de re cum mutuam earum positionem et proportionem, ad quam natura sua tendunt, difficilius accipiant, in illo susceptivitatis statu remanent, quod aptius illas in priorem praeternaturalem motum incidere cogit.

Hic sese generandi modus quo pollent morbi habitualiter recurrentes, ipsis omnino proprius evadit; qui potissimum modus, uti dictum fuit, a peculiari individuali organizatione pendet: facili itaque negotio hac de causa, morbi istiusmodi dignoscuntur atque distinguuntur. Verum earumdem circumstantiarum vi saepe saepius evenit, ut habitudinis morbo alia morbosa periodica forma adsocietur, ab activo processu morboso omnino pendens, et viceversa; et ita mixtum, aut irritativorum motuum (dysaffinium videlicet, nec fibrae naturalium) et sensorialium catena efformatur. Et hoc ex eo facilius fit, quod sicuti non omnes multiplices organici textus, eodem in gradu ea praestant proprietate, qua ut semel mutationi obnoxii fuerint in eamdem relabi tendunt, cum hoc ex majori molecularum mobilitate quibus iidem

textus componuntur, pendere videatur, quae mobilitas propria est eminenti in gradu systematis nervosi; ita accidit ut, morbo periodico perdurante, processui innixo permanenti, neque tantum intenso, nec in partibus parvi faciendis posito, symptomata maxima ex parte, illa potissimum quae cum a systemate sentienti pendeant, alia supereminent in morbosae formae compositione, facili negotio habitualia evadant, nec ad certum usque tempus vigenti processui morboso respondeant, et symptomatibus quae ab ipso ortum immediate ducunt, confundantur.

Ex hoc autem fit, ut morbi habitudinis minime distinguantur, ita etiam nonnullae periodicae morborum formae, illique una simul empirice pertractentur. Ceterum anatomiae pathologicae institutiones videntur maximam medicorum partem docuisse, morbos, ita dictos periodicos, nil aliud esse, quam morbosas formas ab activo pendentes processu, in hoc vel illo incepto viscere, diversas hinc juxta locum affectum, genium et gradum morbosi processus, aliasque circumstantias individuales. Morbi itaque periodici, si proprie loquamur, nil aliud sunt quam morbi continui: et itala medicina, quae in febribus intermittentibus morbosi status continuationem in diebus accessu carentibus considerat, etiam hac ratione Hippocratis aliorumque graecorum medicorum vestigia sequitur.

In morbis igitur periodicis phaenomenon reiteratae eorum apparitionis per intervalla, effectus est alterationis permanentis idiopathicae tex-

tuum qui moventur, aliorumve sympathice vel organico nexu illis inhaerentium; quae alteratio si ad eminentiorem gradum per statuta intervalla sublevatur, aut ignotis de concausis vividius sentitur, vel periodico accessui locum praebet, si antea apparatus phaenomenologicus secreto tantum aut datis intervallis dignoscebatur; vel morbosae exacerbationi, si pathologicae hae expressiones quamdam induebant intensitatem. Habitudinis morbi contra etsi aliquando pathologicae perturbationis effectus sint, minori vel majori temporis spatio extructae hoc vel illo puncto; tamen a se existunt, et a se repetuntur, quin morbosa adsit causa quae quondam illos excitavit; partes quibus destinantur functionibus obediunt; intervalla quae unam alteramque morbosam intercedunt repetitionem, intervalla sunt physiologica et vi tantum vel pluries repetitorum morbi actuum, vel attentionis a sensorio concessae, in statu expectationis actioni remanent; qui status, ni fallor, parum ab eo differt, quo impressiones semel per cerebrum a sensuum organis diffusae, ibi praedispositionem illas producendi rursumque illas gignendi relinquunt.

Quod si stricte perpendatur in habitudinis morbis elementorum amotio et molecularum in textibus morbosae repetitioni coactis, pathologicae periodicorum morborum conditioni respondenti, in gradu tantum variae, asseram, hunc mutationis statum ita per continuam semper identicarum morbosarum impressionum repetitionem habitua-

lem evasisse, ut earum intervalla numquam pathologicis signis subjiciantur.

Reale hoc inter habitudinis morbos et periodicos discrimen, quod tum ab intima eorum essentia, tum ex sese manifestandi modo deducitur, ita facile agnosci haud poterat, donec maxima therapeuticorum pars in determinanda intima morborum essentia, visibiliorem partem, aut evidentiores eorumdem morborum manifestationes perpenderet. Ipsi autem tantum perpendentes actum quo praestant sese reproducendi per intervalla nonnullae affectiones, et quidquid ad morbosi accessus periodum spectat, accuratum omisere examen illius intermedii momenti, quod accessus disjungit; qua de re obscuras illas ignorarunt phaenomenologicas notiones, quibus ad trutinam rite convocatis, aliis datum fuit proprias horum morborum pathologicas inveniendi conditiones, qui modum postea illos agnoscendi, iisdemque rationalem curationem instituendi perscrutarunt.

Accuratum itaque examen mediorum, quae morbosas habitudines solvere plus valent, diversitas proinde effectuum, quos eadem media pariunt, si morbosis formis periodicis pathologico processu continuo activo suffultis administrentur, eo magis necessitatem corroboraverit, discrimen nempe instituendi duas inter hujusmodi morborum classes, illasque in nosologia distinguendi.

Plurima media, quae ars medica ad repellendas morbosasque solvendas habitudines idonea novit, omnia ad unum potissimum actum spectant,

novam videlicet impressionem artificialiter excitandi, quae habitualem morbosam superet et auferat sensationem; cum jam tritum sit illud physiologiae axioma; duo ideae vel sensationes uno eodemque tempore in sensorio simul existere nequaquam possunt; nam his fortior ipsum occupat et dominatur sensorium prae illis quae in illo locum antea habuere. Hic agendi modus, ab antiquis improprio vocabulo actio *devians* aut *derivans*, a recentioribus potiori jure actio *perturbans* appellatus, ille quidem est, qui suo tempore et constanter administratus periodicum habitudinis morbum expugnat. Et sane, si causa praecipua quae morbosos habituales motus suscitat, est, uti dictum fuit, status ille attentionis quam adhibet sensorius eo in actu quo accipit et percipit praeternaturales sensationes, medium illud quod illum distrahere, et ab hoc statu amovere valet, ad morbum quoque directe profligandum ab illo immediate procedentem aptius erit.

Ex eo autem quod facili negotio periodici morbi permanenti insigniti processu, cum habitualibus morbosis formis nectuntur, haud difficulter intelligitur, quomodo iidem periodici morbi illorum mediorum ope aliqua ex parte profligari possint, quae leges habitudinis solvere valent, dum morbos ab ipsa tantum proficiscentes radicitus superare queunt. En alia circumstantia ob quam indiscriminatim considerati fuere. Essentiale tamen discrimen semper superest, quod nempe, ablatis habitudinis legibus, habitudinis quoque morbus directe aufertur; periodicus ex adverso latitat tan-

tum, vel silet, cum adhuc elementum quod illum alit morbosus nempe processus adsit, quo vigente symptomata etiam habitudinis novum percipiunt impulsum, novamque evolutionem.

In motuum itaque irritativorum et habitualium curatione vel causa adhuc adest, quae irritationem fovet, et methodus perturbans postremos compescit motus ephemeram turbae quietem conciliando; vel affectio sensorialibus habitudinis motibus tantum componitur, et methodus *perturbans* morbum radicaliter potis est profligare.

Ita saepenumero nobis videre in praxi occurrit organizationis vitium, causam irritantem, comprimentem, distendentem etc. ab organo pulmonali dissitam longo tempore asthmaticam recurrentem alere affectionem. Hoc in casu, si ars vivam pariat sensationem in partibus a puncto affecto (quod sensorium occupet) longinquis, et agat ne ille irritationes sentiat locales, nec alias quae hisce adsociantur (uti per ussiones, fortes vesicatorios, novas validioresque fit sensationes), aliquando irritativam sensationem, et pulmonalem convulsionem suspendere datum est. Verum utilitas ad tempus tantum est, organicum scilicet superest vitium, causa irritans, comprimens, distendens etc., nisi vero, ut aliquando accidit, remedium quo utitur aliquam secundariam actionem in processum morbosum amovibilem exerceat, et uno eodemque tempore duplicem morbum debellet. Constans e contrario evaderet valetudo, si asthma, vel illa, quaecumque sit convulsio, simplex morbosus habitualis motus esset,

vel spontanea regeneratio motuum a perturbatione victa proficiscentium, uti esset a verminatione depulsa, ab uteri procidentia ad pristinum statum restituta, a cupo jam jam superato ovarii phlogoseos processu, aliisque hujuscemodi. Radicalis igitur fuit curatio puellarum epilepsia correptarum instituta a Boerhaave, cum ipse, candenti districto ferro, in illas irruit, ut in easdem timorem incuteret; verum nisi ex parte igneum dementibus furorem imminuebat Mozon-Coz, cum de repente emphaticis illos exhilarabat concentibus, vel in eorum cellulis paciferum demittebat angelum, vel daemonem fumum flammasque vomentem. Habituales enim erant epilectici illi accessus; furensque illa mania quoddam erat sensorialis et irritativi commixtum.

Quoad vero horum mediorum perturbantium applicationem animadvertendum est, quod cum varii adsint gradus in vi multiplicium habitudinis affectionum eo tempore quo morbus periodicus motus habitudinis sensoriales patefacit, ad illud usque tempus quo hi motus habituales consenescunt; ita pernecessarium est nonnullas extare normas, quae magis consentaneum hujusce alteriusve remedii usum ostendant; quemadmodum etiam hoc mos obtinet in excitantium vel deprimentium remediorum administratione quoad aliorum morborum therapiam, in quibus, quantum fieri potest, stimulum inter et controstimulum, et deficientis aut excedentis excitamenti gradum proportione uti constanter oportet.

Postquam tali pacto de habitudinis morbis ge-

neratim disseruimus, et ostendimus quomodo ipsi differant a periodicis morbis a permanente enutritis morboso processu tum intima eorum essentia, tum vario sese manifestandi modo, tum etiam mediis quae ad eorum curationem instituendam postulantur, postquam eodem tempore necessitatem pertractavimus cognoscendi quando de simplici habituali motu agitur, quando de morbo periodico processui activo continuo conjuncto, quando denique de affectione motibus composita habitualibus, deque epermanente procesu pathologico; opportunum est referre influentiam quam habitudo generatim in morborum periodicorum evolutionem exercet, ut magis magisque studium hoc interesse possit, et fallaci morbosarum complicationum doctrinae lux afferatur.

Celeberrimus Ambri cum novam edidisset de temperamentis doctrinam, multiplicibus illatam modis quibus excitabilitas agere potest, juxta summi Darwin sententiam, magnam claro in modo ostendit influentiam, quae in periodicos accessus morborum reditus ab habitudine exercetur.

Non ignoramus itaque fibrae viventis susceptivitatem ad suos motus peragendos minime omnibus in systematibus aequalem esse, nec omnibus in individuis; quin immo ubi aliquis motus perficiatur, torpescunt alii, illique veluti subjecti evadunt. Hinc hac de re Boerhaave asseruit, genio necessariam esse conspicuam cerebri mobilitatem, sed ipsam absque debilitate existere non posse, dum ex adverso, corporis robur spiritus debilitati inhaeret. Ex hoc elucet, quod cum ad-

sociationis motus sint liberi et prompti in individuis habitudini facile pronis, quicumque sit morbosus status in quem fibra labatur, illam motuum vel actionum seriem quas aliis vicibus peregit, reproducere, ut ita dicam, conatur; *accessionalem* hinc morbi forma induit habitum, vel peculiarem motus modum symptomata concipiunt, qui in interrupta actionum serie per certa temporis spatio recurrente consistit.

Haec adsociabilitatis vis, aut spontaneae facilitas reproductionis nonnullorum naturalium, vel praeternaturalium motuum quotiescumque praevaleat, haud certe morbi formae dirigit normam, aut quanta est symptomatum progeniem administrat; monitum profecto sit, quod ipsa secundarie tantum influit, signaque peculiaria nec a morbi genio dependentia ejusmodi formae morbosae imprimit.

Hinc habitudo praeterquam ipsa pariat et excitet affectiones accessionali insignitae charactere contractam propter facilitatem morbosas repetendi formas aliis productas vicibus; influit etiam secundarie alios in morbos, tum si ipsi morbosam intermittentem formam induant, cum (quod accurato eget examine) si morbus per se libentius typum accipiat continuum, quibus circumstantiis unum ex praecipuis criteriis tegitur, quibus saepius quam oportet medicus ad morbi essentiae characteres instituendos utitur. Patet igitur cur Itard existimaverit morborum intermittentiam nil aliud esse, quam simplicem modificationem parvi faciendam, et cur italus Rasori asserere non du-

bitaverit quod *il conchiudere del fenomeno dell' intermittenza o chiara od oscura ella sia, è un conchiudere a rischio d'ingannarsi sovente.*

Ipsi revera morbi, qui *cursu* solvuntur, uti plurimi dicunt, *ordinario*, quemadmodum essent inflammationes, haud raro intermittentiae formam alicui eorum praecipuo phaenomeno tribuunt. Tali pacto angioites ita claris aliquando insignitur remissionibus, ut medicum illius nescium fallat, extraque tempus spe aegrotum illudat. Quod phaenomenon, juxta Hodgson, ex eo oritur quia membrana naturae scirrhosae inflammatione corripitur. Verum hoc omni in angioite haud semper observatur, et frequenter hoc quidem invenire est in inflammationibus textuum, qui contraria etiam praediti sunt natura. Videtur phaenomenon hoc magis ab occultis variae organizationis variorum individuorum legibus pendere, quam a processus indole, vel a loci affecti natura. Optime hinc Fridericus Hoffmann asseruit minorem esse nostrorum affectionum morbosarum diversitatem, quam subjectorum diversitatem, quae semper ex parte medici accuratioribus eget meditationibus. Haec facta, ut opinor, ea sunt, quae a sapientissimo Pinel perspecta in causa fuerunt, cur ipse china modice uteretur, atque Broussais cupas gastrites a febre intermittenti tectas invenit, quaeque in perpetuum celeberrimum veterum aphorisma *ubi intermissio ibi china* prorsus proscripserunt.

Verum ut evidentius eluceat maxima influentia quam in periodicos morborum accessus reditus

habitudo exercet, animadvertere sufficiat, quaenam sint affectiones magis familiares illis individuis, in quibus cum vis adsociabilitatis praevaleat et facilis promptaque sit, ideo aptiora sunt ad habitudinem efformandam. Constitutio haec, quae a clarissimo Ambri *temperamentum* vocatur *sympathicum*, individua eadem praedita, ut ipse existimat, disponit ad facilem in morbos accessus lapsum, qui morbi difficillime debellantur, et victi facile redeunt. Ratio per se clare patet.

Contrarium porro dicatur de physicis illis constitutionibus in quibus volubilis est fibrae motus inconstans, et idcirco *temperamenta versatilia* appellantur. In hoc cum facili negotio longo tempore nonnulli actus repeti nequeant, adsociabilitas fere amittitur, nec habitudines efformantur, qua de causa hisce in individuis saepe ac saepius intermittentiae symptoma haud apparet, etiamsi morbi relativi quibus aggrediuntur, tali indole praediti sint qua sub aliis circumstantiis evolutionem ipsi concedere valent. Anne haec esset ratio, qua china china aliquando nonnullis febribus gressum prohibet, in quibus nullo diei momento vera intermittentia inveniri potest, causa praecipua hujusce remedii abusus? Juvenilis sane suspicio est, accuratiori ideo indiget perscrutatione. Videtur certe hisce in individuis propter arcanas organizationis leges, vivens fibra ob processum quemcumque morbosum inordinato motu posita, ita facile gressum comprehendere haud posse, nisi prius omnino fomes morbosus extinguatur; dum ex adverso in oppositis constitutionibus

hi motus silent, suspenduntur, rursumque reproducuntur independenter ad certum usque punctum a praesente causa morbosa. Ergo jure meritoque illustris Vallesius dixit, quod perfecta temperamentorum cognitio divinitati similem medicum efficeret. Et sane, ait Alibert, in hac cognitione artis difficultas consistit. Una ipsa docere valet quaenam sint generalibus therapeuticae dogmatibus exceptiones concedendae.

Quod si ego ad practicas confugere vellem applicationes, procul dubio amplum mihi iter stravissem; verum praeterquam quod istae quotidie prospiciantur, certo a meo discederem fine quo insigniri debet dissertatio ut summi laureae honores capiantur. Antequam tamen meae cuicumque oratiunculae finem imponam, medicis commendare peropto, ut ipsi cum perillustri exornati sint observatorum nomine, studeant omni labore cognoscere, quando morbosa phaenomena a morbosis alterationibus praesentibus proficiscantur, et quando effectus sint morbosae tantum habitudinis, atque omni studio illa momenta perpendant, quae remissionum et, quod majus est, morbosae intermittentiae periodos constituunt; oportet enim ut expressiones magis tacitae intelligantur, ut magis parva statuantur lineamenta, umbraeque minus visibiles, ut ipsi naturae interpretum, infirmitatumque cognitorum nomen jure meritoque consequantur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Ad repetitiones tendentia systematum viventium propria, accessus morbis praedisponit.

II.

Nulla alia animalis actio ita facilis est exequendi, quam sunt repetitiones, per vim adsociationis quam acquirunt, et habitudinis.

III.

Motus sympathici morbos complicantes priores sunt qui habituales efficiuntur.

IV.

Intermittentia morbosa dubium sistit praesidium medico morborum essentiam inquirenti.

V.

Apyrexiae tempus in febribus intermittentibus aeque ac accessus studium medicum attentum postulat.

VI.

Mentis operationum studium a vitae operatione sejungi nequit, cum ab iisdem legibus regatur.

QUÆDAM
DE ANGIOITIDE

AD

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES OBTINENDOS

IN PERVETUSTO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AB

ANTONIO FAES

TRIDENTINO

SUMMATIM EXPOSITA

PATAVII

TYP. CARTALLIER ET SICCA

1839

LEONARDO · E · CLOCHE

M. D.

NOSOCOMII . TRIDENTINI

DIRECTORI

ET . MEDICO . PRIMARIO . BENEMERENTISSIMO

ACADEMIAE . ROBORETANAE . SODALI . ETC. ETC.

VIRO

SAPIENTIA . VIRTVTE . PRVDENTIA

PRAECLARISSIMO

HASCE . PAGELLAS

GRATI . ANIMI . REVERENTIAE . ET . AETERNAE . AMICITIAE

PIGNVS

AUCTOR . DEVINCTISSIMVS

D. D. D.

Instaurato, libereque suscepto et exculto philosophiae studio, scientiae quamplurimae erroribus et miseriis ereptae, quibus ipsas infelix temporum ratio tot aetatibus implicabat, ad eam tandem principiorum unitatem, certitudinem et adplicationem perductae sunt, ut civilis sapientiae et culturae, quibus haec aetas gaudet, fontes non perituri, immo usque uberiores, merito depraedicentur. Ast quodnam inter praesentium studia, et miseras speculationes intercedit discrimen, quibus priores aetates, ante instauratas litteras, delectabantur? Non amplius caecum auctoritatis obsequium, non amplius illa notiones abstractas excogitandi libido, nec perpetuae illae disceptationes de principiis theoreticis, non aliunde haustis, nisi ab alacri imaginandi potentia, hominum mentes decipiunt, et ad avia rapiunt.

Contemptis quidem vanis imaginationis illecebris, stultoque veteris magisterii cultu, mente, animoque liberis, in naturae viscera, quousque licuit, itum est: hinc scientiarum aliquae ex nihilo fere elicitae, aliae mirifice locupletatae, aliae demum ad summum perfectionis fastigium elatae sunt. Quod praecipue de scientiis quae studia et investigationes in rerum naturam, ceu proprium et proximum objectum, convertunt, quadam dulcedine admiramur; ipsae enim nunc temporis summo ardore, voluptateque late per Europam excultae, novis sem-

per cognitionibus, mirisque inventis, prae caeteris locupletantur.

Quamvis vero fatendum sit, medicinam, disciplinarum naturalium sororem, tum ex objecti, tum ex temporum difficultatibus non aequo pede progressam esse; tamen si medicinam, quae nunc est, cum veteri comparemus, erit quidem ut nobis gratulemur, bonumque de futura ejus fortuna praesagium faciamus. Jam ab immemorabili aevo cultoribus studiosissimis medicina gavisa est. Homini innumeris morborum formis eheu! obnoxium, modum tuendae et servandae valetudinis, deliciarum vitae fundamenti, pie edocebat; aegrotantem subsidiis et solatiis donabat, quibus praestandis natura impotens, suam admirandam creaturam miserrime pressam et morti sacram dolebat. Observatione et experientia ducibus, pedetentim ars salutaris increvit; et Hyppocrates, summus ille medicinae pater, spectantiora principia collexit, convenienter adplicavit, et fundamenta aedificii statuit, quod brevi ad veram hominum utilitatem surrecturum videbatur. Sed paullo post a recta via, quam bonus et honorabilis senex patefecerat, recessum fuit; et pro factis eorumque sagaci analysi, simplices mentis conceptiones, vana imaginationis ludibria in usum vocata sunt ad modos existendi et aegrotandi humanae naturae explicandos. Hinc ad densas tenebras imminuendas, quibus phaenomena vitalia et morbosa circumdantur, incerto potius et fallaci hypothesium lumine, quam sedulo et patienti examine, aptisque

experimentis, usi sunt. Hinc mentes in intricatos, quasi dixerim, labyrinthi errores inciderunt, unde exitus difficillimus quidem, non esse non poterat. Sed error gravissimus, errorum antecedentium effectus legitimus, tandem emersit; nam medicinae cultores, quum alias scientias ad principiorum simplicitatem et unitatem, quousque sana philosophia concesserit, evectas, ideoque plurimum progredi animadverterint, hanc et medicinae dotem conciliare statuerunt. Et bene quidem; sed hypotheses, consuetudinis vi et temporis auctoritate in deliciis habitas, relinquere non potuerunt: quo factum est, ut suprema scientiae principia ex regnantibus hypothesibus elicerentur, naturae observatione et investigatione posthabitis. Vim vitalem, vel sui generis, utcumque vocetur, principium excogitarunt; idque cardinem posuerunt systematum quae, varia ratione modificata, ad nostra usque tempora viguere, scientiae progressum inhibentia, immo ipsam in infantia per saecula retinentia. Attamen nullo tempore defuerunt fidi principiorum custodes, quae summus Hyppocrates, omni laude major, pro cunctis futuris aetatibus praeparavit. In illis principiis altiorum notionum germina perspexerunt, ipsa apte adplicarunt, spemque rei in melius usque mutandae, firmarunt. Medicina quae ortum suum ab observatione et experientia duxit, nunquam erit, quod alio fonte incrementi et perfectionis gradum attingat. Si rectius, adcuratius, et majori patientia morbos considerabunt philosophi, utiles exinde cognitiones hau-

rientur, unde partium singularum adtributa, mutuae ipsarum relationes, mirabiles harum relationum effectus patebunt, ideoque obscurae aberrationum causae, temporis progressu, in lucem prodibunt. Lentum quidem erit scientiae iter, ardua enim via, et argumentum difficile. Systematicorum gloria non hallucinati, pulchris et ingeniosis doctrinis haud decepti, praecepta quae aetatum experientia nostros magistros edocuit, licet a multis flocci habita et despecta, fida mente sequemur: facta singularia libera observatione colligemus, et in scientiae thesauro magis magisque augendo ponemus, ut cuilibet philosopho et medicinae cultori copia sit ea contemplandi, disquirendi, et rectae analysi submittendi. Sic theoriae medicae forma praestantior, et arti practicae, cui nos sacramur, major utilitas, quod maxime in votis est, conciliabitur.

Hisce paucis, quaedam de angiotide dictitaturo, praeludere visum est, ut quid ipse de medicina sentiam, si essent qui legerent, exinde noscant. Hae quidem pagellae, moris tantum necessitate non spe laudis conscriptae, vix ortae interibunt, quod nostra quidem pace eveniat; ipsas enim, tenuitatis causa, meliora fata expectare non possunt. Nihilo tamen minus ii semper erunt animi nostri sensus, ea semper erit sententia, nunquam fore ut medicina summum honoris fastigium attingat, nisi per praesidia modosque, quos superius evincere, conati sumus. Quamobrem hac auspicatissima luce, qua laurea medica solemniter honestamur, medicinae genium

vehementer rogamus, ut medicorum labores illuc, quo nostra innuit sententia votaque spectant, concordi amore vertantur.

Systema vasculare, universim consideratum, multorum morborum sedes est. Facta pathologica, quae ad morbos systematis vascularis referuntur, meliori ordine disposita inveniuntur postquam, recentiorum laboribus, pars physiologica arteriarum et venarum novissimum tetigit perfectionis gradum. Nosologus potuit hinc facta, quae diversissimis symptomatibus stipantur, antehac diversimode et segregatim considerata, in unum colligere; atque hinc factum est, ut ad unam familiam omnes organicae cordis alterationes non solummodo referantur, sed vasorum etiam illorum, quorum organon istud vel fons, vel confluens, aliquo modo, considerari potest. Vasa sanguifera, quae flumina vitae Hyppocrates nuncupabat, et ipsa ramificationibus vascularibus instructa sunt copiosissimis, et nutriuntur, ut ars injectionis et plurima phaenomena morbosa, nulli alio elemento anatomico referenda, nisi systemati capillari, luculenter demonstrant. In hisce ramificationibus angioitidis substractum quaerendum est.

Angioitis phlogosis vasorum significat, a graeco vocabulo *αγγειος*, quod significat vasum; et a terminatione *ιτις*, unde Graeci adjectivum composuerunt, quod, subintellecto vocabulo *phlogosis*, vim substantivam recepit.

Forsan recte definietur: *Ea febris inflammato-*

riae species, quae cum perceptibili systematis vascularis adfectione congeneri, nexu causali sibi juncta adest.

Ætiologia.

Causae hujusce morbi dividuntur in disponentes et occasionales: disponentes subdividuntur in congenitas et adquisitas; occasionales in dynamicas et mechanicas. Ad disponentes autem congenitas referuntur: tenuitas vasorum dilicata, et majorum vasorum irritabilitas. Quod autem reapse eo major sit dispositio ad hunce morbum, quo tenuius et sensibilius erit systema vasculare, a generalibus phlogoseos doctrinis argumentamur, hisce ultimis temporibus ad altissimam perfectionem a cl. prof. Tommasinio perductis. Primum elementum, vel, uti dicit Goldonius, primus inflammationis factor est irritatio, quae semper ratione directa evolvitur cum partium sensibilitate. Celebris Van-Helmontii spina eo citius dolorem generat, quo impressionabilior est pars ab ipsius praesentia; dolor est symptoma irritationis, quae est primum phlogoseos elementum; quod si non tollatur irritatio, congestio facillime immo necessario exoritur, et hinc inde phlogosis.

Ad disponentes vero adquisitas spasmi et dolores antegressi, perpassae phlogoses, et febres vasculares, quibus a recentioribus quibusdam et febres intermittentes adsociantur. Phlogosis, cuicumque organo insideat, superata, veluti vestigium et funesta sequela praegressi dominii, receptivitas morbosa inflam-

mandi remanet; receptivitas quae proprie dici potest adaucta sensibilitas, vel major irritationis susceptivitas. Franck insuper, Grant, Vogel, Seele observationes dicunt angioitidem quandoque a febre vasculari originem ducere.

Causae autem occasionales subdividuntur in dynamicas et mechanicas. Ad dynamicas referuntur conatus omnes vehementes dynamici in sensibilitatem et motum operantes. Major potentiarum dynamicarum conflictus, adaugens adfluentiam sanguinis circulatoriam, activitatem circulationis per vasa irritata quoque adauget atque accelerat; hinc activitas magis intensa et accelerata in circulo vasorum majorum, adauget et accelerat pari gradu activitatem circuli in vasculis minimis, quibus ipsorum tunicae gaudent.

Ad occasionales mechanicas tandem referuntur omnes laesiones in vasa directae, praecipue si aëri externo adsociantur. Materiei puriformis, vel icorosae, vel quacumque alia ratione stimulantis collectio, potest hujusce morbi causa occasionalis mechanica fieri, per compressionem, erosionem, exulcerationem inductas. Amputationibus, vasorum strangulationibus, irritationi vel recisioni funiculi umbilicalis, venae sectionibus frequentissima sequela est. Ad hunc ordinem tandem demandatur excedens vasorum distensio ex causa quacumque, vel ex. gr. a plethora vera, vel a plethora spuria. Quae omnes causae, topice primum agentes, ad universum denique systema vasculare actionem diffundunt.

Symptomatologia.

Ea ipsa essentialia phaenomena, quae sunt propria et specifica phlogoseos, angioitidem ipsam comitari solent. Tunicae vasorum inflammatorum rubicundae fiunt, sanguine replentur, tumescunt. Quod si haec omnia observari non possunt in individuo aegroto, conspiciuntur in cadavere: quandoque, pro parte, in corpore vivo, si scilicet de vasis superficiem occupantibus agatur. Dolor phlogosim constanter comitatur; hinc vasa inflammata dolent. Circumjacentes et continuatae nervorum propagines, a morbi processu veluti irritatae, animam aberrantis in illa parte normalitatis admonent; anima scilicet, juxta Jerominium, conditionem materialem doloris percipit. Si angioitis infelici superveniat venae sectioni, dolor erit tunc vehementissimus, et topice evolutus, vulneris scilicet loco; diffunditur postea, cursum et directionem sequitur vasorum inflammatorum. Quandoque, monet Reil, angioitis dolorem rheumaticum simulat. Pars omnis, cujus vasa phlogosi detinentur, si comprimatur, dolore vehementissimo corripitur, ex vasorum, praecipue superficialium, mechanica irritatione. Calor urens in angioitide generatur; aegrotus ardescere dicit viscera, agitatur, et molestissimo igni, quo incenditur, solamen avidissime quaerit in frigore: sed inquietudo et concitatio, refrigerio vix capto, iterum succedunt. Medicus per tactum adauctum noscit calorem; urens reapse cutis; et intensior, ut inquit Reil, observatur

calor circa vasa majora; quae observatio cl. viri, non tantum facti innititur vi, sed quoque physicae theoriae principio: quo enim major est peripheria partis ardentis, eo major quantitas evolvitur caloris. Cordis relationes cum omnibus oeconomiae animalis organis id efficiunt, ut particeps ipsum reddatur omnium adfectionum quibus deprehenduntur. Hinc intelligitur quare, si morbo vexetur systema vasculare, cor, quod fontem circulationis physiologi considerant, ob maximam relationem, immo ob textus continuitatem cum vasis, veluti in compassionem trahatur. Pulsat revera frequenter adeo et violenter, ut cordis percussiones in thoracem, veluti fortes palpitationes, nudo oculo conspiciantur. Sub stethoscopio auditur rumor corii recentis a Collin inventi, vel ille subfricationis fusi, ambo circa praecordia, simplices, extimi, et normalium pulsationum sonitus obscurantes. Arteriae omnes phlogosi correptae rara pulsant celeritate et activitate; sanguis hinc ab una ad aliam partem majori transfertur celeritate; mutationes materiae animalis sic adaugentur et intenduntur tum quoad propriam essentiam, tum quoad propriam energiam. Caput dolet vehementer, et quasi ferreo cingitur circulo; animus fit tristis et inquietus; somnus parvus, interruptus, agitatus, somniis terrificis turbatus; facies rubet, visus hallucinatur, aurium adest susurrus; respiratio frequens et anxia; lingua arida et rubra. Adpetitus nullus; dejectiones alvinae rarae, dolorosae; urinae rubro flammeae, quandoque sanguinolentae.

Sitis ingens, cum potuum frigidorum vehementi desiderio.

Quae tanta symptomatum caterva juxta gradum adfectionis plus minusve eminet, nec non a causarum diversitate modificatur. In illa v. gr. angioitide quae ortum duxit ab infelici venae sectione, labia vulneris primum aperiuntur, rubescunt, dolent, et tam superius quam inferius vulneratae parti juxta morbi processum angioitidis phaenomena manifestantur, et s. p.

Omnes et singulae nervosorum symptomatum species morbum quandoque comitantur; ita ut gravissimae diversorum morborum formae in conspectum prodeant. Quum autem a topica venarum haemorroidalium phlogosi angioitis initium ducit, tumescunt ipsae, rubent, et colorem induunt lividum, ardent; et si dirumpentur, alvus cruenta fit, et dolor localiter adaugetur, si praecipue alvi ponendae necessitas insurgat, et s. p.

Juxta majorem vel minorem hujus morbi gradum, qui a majori vel minori adparatu symptomatologico distinguitur, erit angioitis vel mitis, vel violenta.

Illustrissimus Reil docet, angioitidem quandoque idiopathicam, quandoque sympathicam inveniri; quae differentia a recta causarum praecipue pensitatione desumitur. Ipse sapientissimus auctor angioitidem nunc simplicem, nunc compositam esse docet; potest, scilicet, simul adesse cum aliorum organorum phlogosi, vel cum aliquo dolore, cujuscumque speciei. Tunc autem erit cum aliorum or-

ganorum phlogosi conjuncta, quum universo systemate sanguifero vasculari inflammato, aliquod organon, quacumque de causa ad phlogosim contrahendam magis dispositum, accendatur; ita ut alius processus morbosus localis per semetipsum vivens, et principalem complicans adfectionem, statuatur. Haec dixit Reil; nos autem in Reil sententiam non omnino convenimus: credimus enim, localem phlogosim sub angioitidis dominio evolutam, eminentem primarii morbi vim constituere, ideoque neutiquam processum morbosum peculiarem esse considerandam. Quod a peculiari majori dispositione partis eminenter adfectae erit quidem repetendum, ut monet Reil; sed morbus erit semper unus idemque. Hic autem adfectionis universalis eminens gradus localis, extincta jam angioitide, potest quandoque persistere, et inflammationum organorum singulorum particularia praebere symptomata; et tunc summopere localis adfectio medicorum attentionem exposcit. Huic adfectioni remedia in singulorum organorum phlogosibus commendata, opponuntur. Exacta autem, jam initiante morbo, diagnosi pronunciata, non confundet medicus philosophus primariam illam cum succedente hacce secundaria adfectione morbosa. Prodit quandoque angioitis; et prodit, juxta Reil, cum synochae vel typhi charactere. Quaenam est synochae conditio pathologica? Eritne forsan phlogosis partium illarum, quae sunt veluti substractum angioitidis? Sic a Reimanno synocha definitur: *Ea febris inflammatoriae species, quae*

absque perceptibili visceris cujusdam aut organi externi adfectione, nexu causali sibi juncta, adest. Atqui, secundum Rostan, in illis praecipue organis, ex quibus notabiliora symptomata veluti ex fonte procedunt, morbi conditionem insidere nobismetipsis persuasum habemus: hinc quid obstat ut dubitemus saltem, synocham simplicem, phaenomenis a vasculari systemate emergentibus comitatam, tanquam angioitidem gradus cujuscumque habendam esse?

Quamquam series symptomatum quae angioitidis veluti faciem externam constituunt, ut superius demonstravimus, sit numerosa; quandoque tamen nonnisi difficulter diagnosis hujus morbi eruitur, quod tunc praecipue evenit quum vasa profundiora eminentius occupat; unde fit, ut essentialia et eminentiora morbi phaenomena in medici sensus non cadant. Quum igitur manca sit, pars symptomatologica, interest ut diligenti investigatione causas omnes hujus morbi inquirat medicus.

Tribus gradibus, ut mihi videtur, hujus morbi intensitas reduci potest: *a*) Quum nulla in processu plastico, et mixtione organica, ideoque nec in volumine, nec in unione, nec in forma partium adsit differentia, sed major et morbosa in stimulos receptivitas, aderit tunc primus et minimus gradus, qui *arteriositas* a recentioribus nuncupatur.

Rubinius et Tommasinius hanc majorem susceptivitatem stimulorum, nervosis illis fibrillis demandant, quae novitus semper generantur, sub proces-

sus phlogistici, etiam mitissimi, decursu; atque hicce gradus, juxta dynamistas, ad dynamicas adfectiones stricte spectat.

b) Si cum sensibilitate et irritabilitate systematis vasorum morbose evectis, simul vegetatio intensior incedat, ita ut mixtio organica et rationes mechanicae modo perceptibili vitiose mutentur, alter angioitidis gradum locum habebit.

c) Si tandem irritatio et vegetatio ad eum usque gradum tollantur, ut rationes mechanicae et mixtio organica notabiliter adficiantur, graviores exitus, immo destructio immineant, tertius morbi gradus in conspectum prodibit.

Hicce ultimus et secundus veram angioitidem, primus potius opportunitatem ad angioitidem constituit.

De Terminationibus Angioitidis.

Angioitis, juxta intensitatem suam, et circumstantias individuo proprias, tribus modis terminatur:

a) vel in salutem,

b) vel in alios morbos,

c) vel in mortem.

a) In salutem; et haec terminatio plus minusve cito obtinet juxta ablationem illorum phaenomenorum et illarum mutationum organico-dynamicarum, quae essentiam vel conditionem pathologicam angioitidis constituunt.

b) Secundus terminationis modus locum habet quum angioitis benigne non resolvitur, et tunc producit infaustas semetipsius sequelas, vel novos mor-

bosos processus, vel posthumas adfectiones, quomodocumque vocentur. Qui transitus erunt vel dynamici, vel organici: ad primos refertur vitium quodcumque incitationis superstes, v. g. vasorum torpor, congestiones, sthases chronicae; ad secundos quodcumque vitium vegetationis angioitidis residuum, uti exsudationes, hydropes, induramenta, coalitus, exulcerationes, suppurationes, et gangraena.

c) Quum inflammatio ad eum pervenerit gradum, ut resolutio impossibilis sit, vel ob individui peculiares circumstantias, vel ob vim angioitidis, tunc tertius infaustissimus superveniet terminationis modus, interitus.

Ab attenta phaenomenorum morbosorum consideratione, et a causarum justa pensitatione, clare patet, morbum quidem in systemate sanguifero, uti monuimus, esse considerandum. Nihilo tamen secius, quamvis tanta luce hisce ultimis temporibus inflammationis doctrina refulgeat, et tanta adsit observationum copia Hunteri, Sasse, Meckel, Reil, Hogdson, Puchelt, in phlogoses systematis sanguiferi; confitendum tamen, nimiam facilitatem ad praeesistem phlogosim e cadaverum dissectorum signis argumentandi eo pervenisse, ut jure meritoque salse quidam dixerit, angioitidem nunc nimis diffusam esse. Est observatio J. P. Franck et Corwisart, a rubro parietis internae arteriarum colore phlogosim vascularem et quidem intensam deducendam esse; atque Dalbant simile phaenomenon tanquam constans signum angioitidis praedicat, id confirmans

ex observationibus in nosocomio parisiensi institutis. At si revera hocce character sufficiens esset ad pronunciandam de angioitide sententiam, morbus iste frequentior quam quod jure concedi potest conspiceretur; sed Morgagni, Davy et Nespoli observationes insufficientiam hujus characteris satis jam ostenderunt. In cadavere igitur ab acuta angioitide necati, color ruber vivax, densum, et implicatum vasculorum ex pariete salientium reticulum, transudatio interna, coalitus, pseudomembranae, gelatina, materia puriformis tutum praegressae phlogoseos indicium constituunt. Haecce fuerunt reapse phaenomena observata in inflammatione vasorum a Mekel, Sasse, Barde, et majori extensione et perspicacia a doctissimo Meli.

De Therapia.

Si morbi exitum felicem desideramus, etiam processu phlogistico gravissimo, ipsum jam ab initio adgredi oportet methodo firma prompta et energica. Franck et Barde observarunt, quod plerumque sero nimis angioitide acuta laborantibus medicina paratur, si morbus stadium invasionis transgressus, radices jam fixerit satis profundas. Mortem plerumque hujuscemodi aegrorum plorarunt, venae sectionibus et aliis subsidiis therapeuticis incassum administratis. Quod si angioitis, cujus historiam clar. Meli exaravit, quamvis jam ab initio convenienter curata, infeliciter tamen judicata est; hoc non adeo a curatione energica minus vel immature suscepta

est derivandum, quam ab errore diaetetico, cujus culpa morbus ferocius recruduit, mortemque intulit.

Hisce praemissis, quatuor statuimus indicationes in angioitidis therapia adimplendas:

a) causas scilicet amovere,

b) morbum statim et convenienter adgredi,

c) crises praeparare,

d) et convalescentiam suo tempore dirigere.

a) Causas disponentes tum congenitas tum adquisitas, et causas occasionales dynamicas, pro viribus auferre studendum est; vel, si hoc non conceditur, illuc conatus sunt convertendi, ut minorem vel minimum in morbum jam decurrentem exerceant influxum. Quod autem ad causas occasionales mechanicas respicit, necesse est, juxta causarum ipsarum indolem, investigationes et tractamen causale dirigere. Si v. g. angioitis a venae sectione phlebotomo impuro, vel aspero, vel obtuso instituta originem duxerit, quaerendum est an particula quaedam instrumenti, vel impurum aliquid ipsi antea adhaesum in vulnere remanserit, et lateat; et subsidium chirurgicum petat, et s. p.

b) Quamquam angioitis promptam et activam methodum antiphlogisticam exposcat, non tamen in venae sectionibus unice fidendum est, usque dum motus arteriarum ad pristinam redeant normalitatem. Et revera, quid illae triginta duae venae sectiones a Bordeu tali in morbo institutae profuerunt? Vel potius nonne reapse morbum eo citius ad fu-

nestum exitum perduxerunt? Vidit quondam Speranza in simili morbo violentissimum vasorum orgasmum, in quo vibratio, durities, atque pulsuum ictus aegrotum constanter ad extrema usque vitae momenta comitarunt, quamquam pluries vena secta fuisset, et ultima venae sectio morte ipsa imminenti, institueretur. Ex quibus patet non unicum esse remedium venae sectionem, neque huicce solummodo fidendum. Attamen neque expectanti medicinae nimis credendum; et hoc medico persuasum sit, quod si remaneat decursus morbi, quem curat, veluti iners spectator, potest fieri, ut et mortis sui aegroti iners et maledictus spectator fiat. Hyppocrates morbos inflammatorios sanabat methodo expectativa; Galenus venam ad deliquium usque secando. Quotidiana experientia et momentorum sanctio satis superque demonstrarunt, in hujuscemodi casibus medicinam activam praeferendam esse, dummodo finibus philosophicae prudentiae convenienter contineatur. Venae sectioni, apta administratio medicamentorum deprimentium, digitalis purpureae, nitri, aquae cohobatae lauri cerasi nubenda, nec non potubus copiosis frigidis, et glacie ipsa utendum. Diaeta erit severissima.

c) Morbo strenue oppugnato et destructo, ad crises attendat medicus diligenter. Quidquid dicant theoristae de crisibus, axioma practicum erit aeternum, quod plerique morbi ab ipsarum solo adventu laete dijudicentur, quod ipsarum absentia mali sit semper ominis. Transpiratio placide adaucta, uri-

nae turbidae et dein sedimentosae, erunt signa critica exitus felicis hujus morbi.

d) Apta methodo diaetetica, nutriente, sed non calefaciente, convalescentia firmetur. Omnes errores diaetetici severissime prohibeantur, ut praemium veluti coronam suorum laborum accipiat medicus philosophus.

Distinguat convenienter medicus primariam a secundariis adfectionibus, et caveat ne complicet indicationes therapeuticas, subsidia ad effectus potius quam ad causas dirigens. Medicina tetigit hic splendidissimum gloriae et utilitatis fastigium. Logica medica, observatione et experientia orta et adaucta, sani ingenii acumine suffulta, methodi curativae simplificandae modum docuit, atque medicum incitavit ad constantem primariae adfectionis considerationem, a quo tot secundariae saepe saepius eveniunt, quae rudem empiricum intricant frequenter et confundunt, in damnum gravissimum infelicis aegroti. Paucis pharmacis supramemoratis conclamatam angioitidem cum incipientibus hydropis terminationibus sanatam vidi; sed haec vidi, quia doctor Cloche, director et medicus primarius nosocomii tridentini, logica illa quae medicum vere philosophum efformat, et quae ipsum existimatum et carum medicae reipublicae, et societati utilem reddit, firmam decisamque pronuntiavit diagnosim, neque novis motus epigenomenis, quibus alia subsidia exposci videbantur, in methodo statuta strenuus continuavit tanta felicitate, ut brevi tempore, aegro ad pri-

stinam salutem restituto, gratulati simus: quod nuper elapsis feriis autumnalibus factum est.

De Prognosi.

Quod autem ad prognosim spectat, legibus generalibus ipsa gubernatur. Cauta sit semper; maximi enim momenti est adfectio, nobilissimum systema occupans, et in funestas terminationes, altiori gradu si vigeat, utplurimum nitens.

Haec sunt pauca quae de angioitide ad inauguralem dissertationem, pro temporis angustiis, colligere, meditari, exponere potui. Systematum singulorum et universorum adfectiones maximi videntur momenti non tantum ex eo, quod jam ex semetipsis graves et periculosae sint, sed ex considerationibus quoque, quibus a pathologo et physiologo submitti possunt. Pathologia materiam exhibet quandoque ad ulteriorem physiologiae perfectionem. Alteratae functiones systematis cujusdam, et sympathicae alterius perturbationes clara luce demonstrant relationem ipsis intercedentem. Quum physiologia statuerit leges relationum singulorum systematum, ipsa et pathologia utilis et splendidi progressus laudem acquirent. Sed a sola factorum particularium severa et logica pensitatione integra et solemnis haecce cognitio speranda, qua medicina ad gloriae culmen, quod aliae scientiae tetigerunt, sperandum fore ut perducatur.

THESES

I. Morbos esse in aeternum medicinae reluctaturos falsum.

II. Medicamenta non sunt absoluta, sed tantum relativa.

III. Medicus non omnes morbos, quos sanare in ejus potestate esset, sanare debet.

IV. Medicamentorum forma fluida magis proficua.

V. Arteriositas momentum disponens ad arteritidem constituit.

VI. Irritatio, ablata causa, cessat.

VII. Inflammatio cum irritatione semper conjungitur; non semper tamen irritatio cum inflammatione.

VIII. Praedicata nunc temporis sulphatis chininae actio deprimens confirmari adhuc debet.

IX. Bisulphas chininae majori activitate accessifuga ac sulphas chininae gaudet.

X. Ulcera corneae nunc venae sectionibus, nunc stimulantibus curantur.

XI. Strangulati, apoplectici plerumque moriuntur.

XII. Aquae minerales artefactae naturalibus longe postponendae sunt.